officium deseramus. Dictavi nuper Adolescentibus in schola versi-
culos aliquot in incoanda interpretatione prioris Epistolæ Paulli ad Co-
rinthios. Ea res non caruit reprehensione, quasi meæ functionis limites
praeter ~~trans~~gressus essem. Mihi vero neutiquam abhorrere videtur a consue-
tudine scholari, si solida Pietatis fundamenta et doctrinam de mori-
bus bonis tradam, potius e libris sacris, quam ex Erasmi Colloquijs aut
ex Dialogis Castalionis. Sermo Christi (ait Apostolus) inhabitet in
vobis cum omni sapientia, et Propheta nos iubet ineuntis ætatis in-
scitiam corrigere, et mores rectius formare, meditandis, custodien-
disq. sermonibus divinis. Carmen ipsum mitto, ut legas, non est
longum. et iudices. confido futurum ut te censorem experiar æ-
quiorem. De Doctore Peucero narrant eum in vinculis mane in-
ventum esse mortuum. id mihi visum est immanius: quam ut
credi possit. O rem indignam: o homines sacrilegos: Tandem ni-
hil sibi ~~sibi~~ facient reliquum ad summam crudelitatem. Nullus se-
mel ore receptus, pollutas patitur sanguis mansvescere fauces. ait
Poeta. Sed comprimenda hæc oratio est, ne quis malus audiat. Sub
omni lapide Scorpius dormit. Vale Frater ex animo
mihi dilecte et venerande cum dulci conjuge et liberis suavissi-
mis. Ipsis Nonis febr. 1577

Puerorum Custos
Johannes Molanus.

Nr. 275)

Gratiam & pacem à Domino. [An wen? - Wohl an Molanus]

Allato nobis nuncio de principis illius verè ac summè illustris, adeoq. communis nostri fa-
ventis obitu Reverendi viri & plurimum observandi fratres: etsi per Dei gratiam non ita
sumus perculsi, ut qui spem non habent, cousq. tamen fuisse nos isto tanto vulnere perturbatos ultro
confitemur, ut consolatione potius egeremus, quam solari vos possemus. Hinc ista nostra in
hoc fraterna charitatis præstando vobis officio tarditas. Imo nunc quoq. vix aliud, quam no-
stras cum vestris Lacrymas conferre possumus. Accepimus enim ingens profecto vulnus, uniq.
Deo medicabile & cujus gravitatem ac sensum valdè metuimus ne tempus augeat po[...]
imminuat. Sed is tamen, qui nos redemit à morte, [...] est ut tradere nos morti velle [...]
Indignus erat mundus tali principe, & procul dubio jactur~~am~~ sane luet. At nos ex mundo non [...]
mus: & ut etiam cum mundo pertutiamur, minimè tamen cum mundo peribimus. [Quid ergo?]
nempè sicut abundè nobis est, quod optimo jure lugeamus, ita non deest quod nobis spem magnam
faciat, futurum, ut Dominus neq. tam præclarè ceptum istic opus suum, neq. fidos operarios
suos deserat. Quod si justo sic ferente Dei judicio, & animum ex hac nostra clade colligentibus
veritatis adversarijs, gravissima subeunda fuerint certamina, confidimus vicissim fore, ut totidem
fortibus suis ~~Ath~~ Athletis Brabeia statuisse tandem Deus comperiatur. Etsi vero vos nunc qui-
dem estis in acici fronte collocati, absit tamen ut nos ἐξω βέλους esse statuamus. Imo vero
nobis communia vobiscum cuncta pericula ducimus, uti sanè sunt: nec quidq. quod vos attingat,
à nobis alienum existimamus. Quod si cousq. Dominus habenas Satanæ laxavit (speramus autem
à principe quamvis à nobis dissentiente, benignissimo tamen, ut audimus, longè meliora, accedente præ-
sertim optimi alterius Principis studio & intercessione) ut vel otiosos, vel non satis istic in tuto vos
esse oporteat, offerimus hic vobis observandi fratres, quidquid usquam in nobis positum esse voluit
Dominus: &, si res ita tulerit, futurum omnino speramus, ut invito Satana, ubi de vestro ad
nos adventu in Gallia auditum erit, non desint vobis Scholæ & Ecclesiæ, in quibus maximo
cum fructu, & non parva cum voluptate possitis preciosa illa quæ à Deo talenta accepistis
negotiari. Nobis certe jucundissimus erit vester conspectus, & ne in istis quidem quamvis
tristissimis

[= Mscr. a. 12 = Nr. 262]

tristissimis temporibus defuturam nobis mutuam consolationem speramus.
Interea fortitudinem animi vobis à DEO opt. Max. tantam precamur, quanta ferendæ 140.
tantæ calamitati, totq; superandis difficultatibus opus est, & corpore quidem absentes, animo
tamen præsentes vobiscum συναγωνιζόμενοι. Bene valete, Reverendi viri & plu-
rimum nobis observandi fratres. D. Jesus redemptor & conservator ovium ipsi à Patre com-
missarum gratiam vobis tribuat in novi principis oculis, veritati suæ patrocinetur, quas in
optimum defunctum principem benedictiones effuderat, in ejusdem liberis secundum verbum
suum multiplicet, exaudiat servorum suorum gemitus, coerceat Satanæ rabiem, denique propter
sanctum nomen suum, quod istic tam efficaciter cœpit, quam potentissime perficiat. Genevæ
XXIIII Novembris anno ultimi temporis CIƆ IƆ LXXVI. Th. Bez. [Beza, Theod.]

Pax Christi. Doct. Jeremiæ Bastingio. Heidelbergæ

Nr. 276) [= Ancr. a. 12 = 269]

Fasciculum litterarum tuarum Jeremia D. geminum accepi. Unum attulit auriga Stercke-
burgij: alterum tabellarius qui Spiram à Senatu nostro mitti consuevit. In utroque tuæ theses
fuerunt, tam ad meas litteras adjunctæ: quam ad Epistolam quæ Carolo Bernardi f. inscripta erat.
pro meis ego gratias ago: ille tibi suo tempore prolixe respondebit. Quam opportune theses cum
versiculis in idem argumentum inciderunt: ut ex eodem fonte hausisse videamur. Sed vestra
in Academijs magnifica sunt omnia: nos in hac compitalitia palæstra nihil nisi ludibrij specta-
culum sumus. Mitto nihilo minus Bremæ excusum carmen tuo hortatu: amici munusculum est,
non decet vos istud aspernari. Intelligo ex litteris quas Mensoni Altingio Iacobus misit Mylius,
isti quoq; Scholæ & Ecclesiæ quæ jam totius Europæ oculos in se converterat, turbulentis-
quandam tempestatem quam proxime impendere: Scilicet ut cordium consilia illustrentur,
& sit scriptum in fronte cujusque, quid de regno IESV CHRISTI sentiat, quoque animo
ejus Regis Evangelium sit amplexus. De conjuge, scis Hesiodi οἶκον μὲν [illegible] consilium
γυναῖκά τε. Equidem si vis huic Seni auscultare: idem tibi sequendum duco. Ne prius
ducas: quam constitutum sit, quo loco positurus sis sedem rerum tuarum. Vides quæ nunc sint
tempora, quæ fluctuatio celebrium familiarum. Antonius Langius & Henricus Saleburgius
artium Magistri, honesti viri sunt, & honesto loco digni. In pugnam de Sophismate, Essenti-
ale non essentialiter: pertractus à Corypheo nostro fuit Henricus refugiens, & admodum
invitus. Sed illam Tragicocomœdiam, cujus ego quoque pars fui: dolore prohibitus non attingo.
Tantum addo. Si quid benefeceris vel huic vel ejus nutritio Antonio, tam id fore gratum
mihi, quam si mea ipsius viscera tua liberalitate recreasses. Nihil hic apud nos peccati fuit:
cujus ego quidem sim conscius: nisi quod oderunt Sophisticen, quam ipsum (ut spero) tempus,
quod solet mendacio lupus esse, jugulabit. Doctores vestros, ut par est, revereor, & amo, neq;
unquam vel de sincera eorum pietate, vel de exacta raraq; eruditione dubitavi. Amplificet
Dominus robur suum in cordibus eorum ut ne de suscepta Ecclesiæ CHRISTI caussa,
ulla contumelia aut periculo depellantur. Hermannus iste Renneckerus, qui apud Batavos
Linguam Sanctam profitetur, quum intelligat, eandem linguam te exacte didicisse: colloqui
tecum postulat, & fundamenta quædam ponere amicitiæ perpetuo duraturæ. Requirit
Hollandia multos viros spectanda eruditione, ea si tuis studijs uti cupiat: reverberis
(ut opinor) patriæ auctoritatem. Emdæ adhuc de disciplina contenditur, metuo ne in nervum
erumpat contentio. Quam desperanda res est. Eos qui multis abhinc annis visi sunt Ecclesiæ
columina: id nunc operam dare, ut omnia misceantur. Gaudeo me eo processisse ætatis: ut jam
terra sit in conspectu. Quem enim non capiat tædium harum quotidianarum miseriarum?
quibus nullum inveniri remedium potest. Miseram senectutem, quæ diu vivendo, multa,
quæ non vult, videt. Sed reprimam me, ne videar ætatis vitio in has seniles querimonias
incidisse. Vale. Versiculos meos distribue quæso & amicos, homines doctissimosq; & meo
animo charissimos benignissime saluta. Mea conjunx cum parvis Posthumis tuæ humani-
tati omnia fausta precatur. Ego biduum aut triduum consumpsi in lecto nondum satis
confirmatus, ut vix scribendis epistolis queam superesse. Rursum vale. Postridie Calend.
Martias 1.5.77. Bremæ Vehementer te amans Juvenum custos

Johannes Molanus.

Pax Christi. M. Johanni Floriano. Frisio

Nr. 277)

Hanc hyemem erudite vir & frater venerande, Tammo vester, bene (ut mihi quidem vide-
tur) collocavit. Tute periculum facies. Sic animatus si sic perget confido futurum, ut gaudeas
nostræ fidei mandatum fuisse. Constitueram retinere eum in sua palæstra, quum &
patrem ejus & te ipsum magnos auctores haberem. Sed nescio quomodo, primum matris epistola
meum animum inflexit. Tum autem partim ipsius adolescentis preces, partim veterum ejus
sodalium istuc euntium invitatio fecerunt: ut in sententia permanere non possem.

[= Ancr. a. 12 = Nr. 270]